...ntae Juventus.

Malicki B. C.: Auspicatum futurae felicitatis omen.

1683

AVSPICATVM
FVTVRÆ FELICITATIS
OMEN
Jn validissima
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
LESCYNSCIANÆ
Fortitudine
ab antiqua seculorum serie
FVNDATVM.
Atq; in Eximia.
ILLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI
D. RAPHAELIS LESZCZYNSKI
COMITIS de LESZNO,
VEXILLIFERI REGNI,
SCHOVENSIS, MOSCICENSIS, &c. &c.
CAPITANEI.
Magnanimitate.
Post recèns accumulatos à Republica honores
Inter iniquas afflictæ Patriæ vices
publico literariorum ludorum spectaculo
A Nobili Academiæ Posnan: Iuuentute.
Debitæ honorum aggratulationis & venerationis ergo
INAVGVRATVM.
Operâ M. B. C. MALICKI Phiæ D. ac interea Pòëseos Professoris.
Anno
Cor bInIs qVI aqVILIs faVstè DIreXIt In hosteM. 1683.

POSNANIÆ.
Ex Typographia Rńdi D. Alberti Láktanski.

M.C D.L XVVV IIIIIII
15. 8

In Gentilitium Insigne.

JLLVSTRISSIMÆ DOMVS LESCINSCIORVM.



Epigramma.

Vna caput diri traxit dum dextra Bisontis,
Natiuum decus hinc traxit & arma sibi.
Heroâ Nepos certat dum strenuus arte
Arma coronati jure Leonis habet.
Desine mactato jactari Alcida leone
Hâc pro dum viuus militat ecce Leo.
Frustra Canusiæ jactatis oues ~~rutilum~~ decus almi
Vrus dum pretium velleris omne capit.

Prologus.

Seriem rei futuræ declarans captat Auditoris benevolentiam.

ACTVS I.

Scena I. Ambitio sublimes thronos scandere cupiens implorat opem & factiones Mercurij, cui adest & auxiliaturum se pollicetur.

Scena II. Mercurius Simulationem, Inuidiam, & Discordiam ad se vocatas accendit ad ministrandum Ambitioni, eamq; erigendi modum edocet.

Scena III. Mercurius excitat Plutonem, vt amicam sibi Ambitionem in sublimia eniti conantem adiuuet, cui Pluto in succursum delegat Alectô, Megæram & Tisiphonen.

Scena IV. Martem otia detestantem Mercurius excitat ad opitulandum Ambitioni, cui Mars militaturum Bellum designat.

Scena V. Ambitioni moram execranti adest Mercurius collectam Ministrorũ cohortem tradens eius imperio, quam Ambitio obtestatur, vt eam etiam per extremas totius orbis clades in summa Imperiorum fastigia euehere conentur.

CHORVS. Irritos fore Ambitionis conatus ominatur.

Intermedium.

ACTVS II.

Scena I. Tota ministrorum Ambitionis cohors irritant Europam contra cœteras mundi partes.

Scena II. Eadem cohors Africam commouet in alias orbis partes.

Scena III. Eadem cohors Asiam quoque tum in alias tum verò maximè in Europam cient, has illa persuasiones Diuina sibi censens oracula subitò ingentibus in Europam exæstuat furoribus.

Scena IV. Africa quoque virium suarum partem Asiæ contra Europam se iuncturam protestatur, rata suam fore felicitatem, si Asia Europaq; adinuicem confligentes deficerent.

Scena V. Europa iniquis Ambitionis Ministrorum persuasionibus confusa admirando rerum vicissitudinem obstupescit, postpositàque ferocitate pacem præoptat.

CHORVS. Ambitionis arrogantiam allegatis ambitiosorum cladibus obiurgat.

Intermedium.

ACTVS III.

Scena I. Imperator Turcarum de processu belli contra Europam cum Primoribus suis deliberans consilia in lite relinquit.

Scena II. Ministri Ambitionis Imperatorem Turcarum somno compressum pelliciunt ad bellandum, felicem fore exitum persuadentes, dum Europa internis quoque cladibus afficitur, insuper vana quædam superstitionis signa ei relinquunt.

Scena III. Imperator somno proreptus visionem suam consilia Machometi putans ardentissimè in bella contra Europam & extirpandam Christianorum Religionem efferuescit, & omnem exercitûs sui multitudinẽ in aciem educi iubet.

Scena IV. Pax languescens in cassum dotes suas iactans, labitur: cui dum Veritas Charitas & Concordia, vt pote & ipsæ ab aduersantibus sibi Ambitionis Ministris languefactæ cõpatiuntur, ab irruentibus præfatis suis hostibus disturbantur. Apollo quoq; cadente pace honestissimã artem suam deficere conquerens opittulaturus ei accurrit, sed tandem Pax à Bello prorsus enecatur.

Scena V. Turcarum Tartarorumque Exploratores elicitâ ex abductis Europæ captiuis permisti & domesticis discordijs conturbati Christianarum gentium statûs notitiâ, exultant & tripudiant.

CHORVS. Hostilem truculentiam execratur.

Inter-

Intermedium.

ACTVS IV.

Scena I. Religio solicita perturbati Christianorum statûs supplicat Supremo Numini, imploratq; Diuinum auxilium.

Scena II. Veritas, Charitas, & Concordia errabundæ à Religione obiurgantur, vt pro obtinenda Christiani statûs pace gentes Monarchasque Christianos ac præcipuè Poloniam Germaniamq; , ad coniunctionem contra generalem hostem Turcam suscitent.

Scena III. Veritas coram Lechiæ Germaniæq; Genijs seu Amoribus suas dotes collabi conquerens, fundamentum generalis in orbe calamitatis reuelans, ad vnionem eos contra hostem pellicit.

Scena IV, Charitas coram ijsdem conquerens ad vincula Charitatis & coniunctionis in hostem suscitat.

Scena V. Concordia quoque querulis dictis animos præfatorum ad coniunctionem inclinat, sed alterutro eorundem reluctante, spem conatûs sui locat in Genio *Lesciniano*, (vt potè interea temporis Generalibus Poloniæ Comitijs præsidente JLLMO & MGCO DNO RAPHAELE LESZCZYNSKI &c. atq; sic facilè Magnatum corda ad præfatam coniunctionem inclinare potente) cui equidem præfatus succurens Genius salubribus consilijs ad vnionem inflexos prædictos Genios seu Amores firmo Concordiæ vinculo nectit, vnitasque in hostem vires efficit.

CHORVS. Coniunctioni factæ applaudens felicissima quæq; ominatur.

Intermedium.

ACTVS V.

Scena I. Polonæ Germanæq; militiæ Antesignani coniunctioni suæ applaudentes, consultant quâ methodo sit aggrediendus hostis, præuiâq; deliberatione expediunt in hostem Exploratores.

Scena II. Exploratores de abductis hostium captiuis eliciunt informationem.

Scena III. Duces Militiæ de progressu Exploratorũ suorum solicitantur, interea Exploratores aduenietes confessata hostium recitant, vnde renuntiata innumerabilis hostium multitudo militibus ponit obicem audendi; sed tandem videntes Genium LESCINIANVM fore Comitem laborũ suorum, meliori progresûs sui omine referti ad impugnandum hostem procedunt.

Scena IV. Religio pro felici beli exitu supplicat Cælitibus.

Scena V. Exercitus junctæ Christianitatis spolia prorsus deuicti hostis captiuosq; adducit.

Chorus triumphalia Christianitati epicinia, parentalia hostibus epicedia occinit.

Intermedium.

ACTVS VI.

Scena I. Pax reuiuiscens coërcet Bellum, & triumphat.

Scena II. Ministræ Ambitionis desperantes contumaciâ suam ad barathra corrunt.

Scena III. Ambitio se ipsam & sua molimina execrando, à præfatis virtutibus condemnatur.

Scena IV. Religio cum virtutibus triumphalia cælis reddit epinicia.

Scena V. Apollo applaudēs resuscitatæ LESCINIANI Genij consilijs opibusq; Paci, supponens feliciorem fore attritis dotibus suis metamorphosim, in pignus debitæ gratitudinis assumit Professionis suæ clientes bis totidem Anagrammatis ac Epigrammatis LESCINIANUM Nomen celebraturos, quot literis programma coalescit.

CHORVS. Applaudens rediuiuæ Paci, LESCINIANÆ Virtuti occinit triumphos

Intermedium.